DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS X. MARTII,

M. HELIA BEDA DES FOVGERAIS Doctore Medico Præſide.

Eſtne Nutricis menſtrua patientis lac deterius?

996

HOMINI recèns genito, necdum ſolidioribus cibis pari, vnus eſt in alimentum à Natura conceſſus ſanguis, quem ſincerum in vtero, poſtquam lucem aſpexit, lactis ſpecie dealbatum ſugit è mammis; vt ſic quem aliàs quiſque cruorem refugeret, noui coloris ſaporiſque acceſſione, nemo non bibat auidè & iucundiùs quouis nectare & ambroſiâ: odor enim in hoc liquore non tam deſideratur vllus, quàm vt quiuis peregrinus abſit, expetitur. Licet porrò lac vniuſmodi appareat; triplici tamen conſtat ſubſtantiâ, rerumque omnium quæ in vſus humanos veniunt, vires in ſe complectitur; vt non ſolum cibi potuſque; ſed etiam medicamenti rationem obtineat: imò velut antidotus præſentiſſima multis obſiſtit venenis: cum tamen is vnde fit ſanguis, hauſtus, inſtar veneni ſuffocando ſtatim perniciem creet. Eo autem ſucco tantò æquiùs fuit vitæ noſtræ primitias conſecrari, quantò minore apparatu, & temporis ſpatio conficitur è quibuſuis eduliis, præſtò vt ſemper ſit voraci infanti, & mammæ quoties libebit hæſuro. Nec verò tantum ad corpus citò & bellè alendum valet: ſed & ſuo calore moderato, conuenientíque ſingulis partibus ſuauiſſimâ humiditate, miras habet opportunitates ad incrementi, vitæque terminos quàm longiſſimè proferendos.

LAC generare nec mas vllus valet, nec vlla fœmina, niſi quæ viro matura ac proſtituta, virginitatis florem cum ſpirante fructu coniugij commutarit. Quidquid ſecus compereris, id habeto tamquam vanum opus Naturæ ſine conſilio exeuntis extra illa quæ ſibi præfixit, & intra quæ conſiſtere ſemper cupit ſpatia: neque id Lac putato quod ſeroſum à maris, vel puellæ papillâ ſtillauit aliquando. Vna in hominum genere enixa mulier potis eſt ab vtrôque vbere genuinum hoc puſioni nutrimentum velut à gemino fonte inexhauſto depromere purum atque laudabile. Propterea ſanguis cuius in grauida nihil effluit, cum poſtremis redundat menſibus, refluit, dirigiturque in mammas, lactei humoris officinam: ac tum, quæ tot annos otioſæ fuerant Glandulæ ſuo ſenſim officio atque operi aſſueſcunt, expediuntque tandem parienti ſuccum, quo vagitus famémque comprimat prodeuntis in hanc mundi ſcenam infantuli. In hoc tamen præcellenti alimento, ſi aliarum à mammis partium operam non agnoſcis, toto erras cœlo: ſic enim pro ingenita vi, huic incumbunt negocio· vt ſit irritus earum labor, ſi vel Iecoris deſideretur robur atque integritas, vel cæterorum viſcerum, præſertimque Pulmonis & Cordis, cui vicinæ adſtant: non tam ad tutelam, aut ad venuſtatem, amoriſque incentiuum, quàm vt naturâ ſuâ exangues & frigidæ, blandis illius ignibus recaleſcant. Ex eo proinde liquet, quanto ſaltem ſtudio prudentem Medicum conſulere debeant Nutriculam delecturæ illæ puerperæ, quæ Naturæ iniuriam facere, & fixas ſui cuique partus alendi leges, etiam ſine cauſa ſontica violare non verentur.

SED ne qua Nutricis vitia ebibat cereus ad omnem ægritudinem infans: non ſatis eſt lactis dotes ex colore, ſapore, & conſiſtentiâ æſtimare: mammarum moles & tumor, à lactiſne, an ab adipis aut carnium copiâ pendeat, expendere: ad mores, ætatem, vultum, oculos, capillitium, corporis proceritatem, laterum firmitatem, omnium denique partium Principum vigorem reſpicere: ſed &, quam pudor vetat oculis, hanc animo tacitè luſtrare decet partem, quæ cum mammis ſingulariter ἀδελφίζει. Scilicet tanta vtero cum ijs intercedit ſocietas atque cognatio: vt in bonis perinde ac malis mulierum rebus, ſeſe afficiant mutuò: ſic attrectatis quomodolibet mammis, ſtatim ſopitus genitalium ignis accenditur: & his pubertatis tempore in venerem prurientibus, illæ attolluntur, præbentque ſplendida integritatis, vel delibatæ virginitatis argumenta: ſic abortum prænunciant extenuatæ mammæ, Lacte verò ſi quando turgeant, eo & Vterum manare plerumque videas, atque hic viciſſim nimiâ ſanguinis copiâ oneratus, partem illico refundit in mammas, vnde Lac, phlegmone, furor.

VALERE vt omnino neceſſe eſt ſingulas, aut ſaltem præcipuas corporis partes, quò ex illarum quidem ſuperfluâ, ſed purâ ſanguinis portione, nouus ſuccus, ad noui hominis victum elaboretur: ita de Lactis bonitate multum decedat oportet, quoties præter ſpem interuenit aliquid, quod vel ſanguinem minuit, vel quandam ipſi ſeu impuritatis, ſeu putredinis labem aſpergit. Multóque magis cùm hæc humorum vitia fouet partis alicuius eximiæ imbecillitas vel κακοπραγία. Idcirco Nutricis munere abdicare ſe debent, quibuſcunque intemperies languorque viſceris alicuius, aduerſam vel certè dubiam efficit valetudinem: nec melius iſtas obire partes poſſunt, quæ tum prauorum, tum maximè laudabilium humorum, imprimiſque ſanguinis intempeſtiuâ atque immoderatâ vacuatione reſolutæ iacent ſine viribus: hinc namque plurimæ paucum & alienum Lac reponendo, vnà cum ſuis alumnis, præuiâ macie, mortem incurrére præproperam.

FIRMÆ itaque valetudinis mulier, cùm à partu, ſanguinis toto geſtationis tempore ad vterum congeſti, ſordes abiecit; ſi Nutricis fungatur officio, obſignatis quaſi venis, eius deinceps nihi deperdit amplius, quòd qui in dies purus probuſque excuditur, totus alentis & alti nutricationi impendatur. Certè breui ad inopiam vtrumque redigi videas, niſi ſuum hunc Natura theſaurum ſtudioſé ſeruauerit. Imò ne totus quidem interdum ſatis eſt adoleſcenti proptercáque edaciori puero. Quare vt arbores negant vel caſuris folijs commeatum, quò vberior ſuppetat inclinanti ad maturitatem fructui: hic verò extabeſcit & cadit, ſi ſuccum quo alitur ſecto trunci libro deduxeris: ſic vbi qui totus in Nutricum mammas concedere debet ſanguis, ad Vterum diuertit erupturus foràs: vel ſuâ ſibi acrimoniâ & putredine viam parat; vel Iecori quacunque ex cauſa debilitato conſentiens Vterus ſegnem ſe præſtat in retinendo, vt diſtractis diſſipatiſque eâ excretione ſpiritibus, deteriùs agatur cum infante impurum, putre, crudumue Lac exugente. Ab ijs cauſis niſi ſtimulata vrgeretur Natura, ſuis ipſa pareret legibus, neque vnquam quem habet in delicijs humorem profunderet, cùm omnis vitij expers, nec grauis nec copioſior eſſe poſſit, vbi & plurimus deſideratur & optimus.

Ergo Nutricis menſtrua patientis lac deterius.

Proponebat Lutetiæ MICHAEL LANGLOIS, Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. L.